

reliqua velocius percurramus. Idem Socrates ad gloriam aspirantibus, quæ ingensturba est, rectum ac compendiosum calleb, non omnibus sanè notum designabat, ut scilicet, Talis quisque fieret, qualis videri cuperet: Simplex virtutis studium sectandum dicens, simulationis atque hypocrisis viam relinquendam, quæ producere quo pollicentur nequeunt. Idem ab adolescente dubio consultus, Nuptiasne contraheret, an in cœlibatu permaneret? ratus fore, ut quicquid dixisset, ab illo magna fiducia suscipietur. Hac errorem responsione discussit: Falleris, inquit, si velut è duobus bonis quod sit melius expectas, utrinque difficultates ac molestiæ, hic angor tædiumque solitudinis, stirpis defectio, externique dolor hæredis: Inde iugis querelarum ac curarum sarcina, dotatæ conjugis audacia, socrus repuerascentis procacitas, fastidium propinquorum, adulterorum merus, anceps exitus natorum: Deinceps ipse tibi consule, & quæ tolerabiliora videantur elige. Alterum adolescentem cum vidisset insignem vultu atque habitu, sed tacitum: Loquere, inquit, ut te videam propriè quidem, quoniam.

q. iiiij.